



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Visitatione locali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](#)

Eleemosyna libr. 3000. ut in eodem libro scriptum est.

Liuellum lib. 40. singulis annis.

Cessionem omnium iuriū suorū patrī, & fratribus fecit paulo ante suscep-
tionem habitus.

Bonæ valetudinis.

Frequentat Chorum die, ac nocte.

conuenit cum alijs in Refectorio, in
alijsque locis, quando non retardatur
ratione officij.

Confiteatur peccata, & sanctissimum
Eucharistia sacramentum sumit regu-

lariter singulis festis, & ferijs sextis: tē-
pore vero Aduentus, & Septuagesimæ
usque ad Pascha etiam ferijs quartis.

Scit compè scribere, canere etiam, &
organo pulsare, item computationes su-
mere.

Est Abbatissa electa, & confirmata die
6. Iunij proximè præteriti.

Prius erat Præfecta Novitarum.

Quæ autem à Monialib. inquirenda
sint, ex statu generali supraposito, & ex
ijs, quæ de poenis dicentur, elici possunt.

Et hæc de Visitatione personali.

CAPVT VII.

De Visitatione locali, seu Materiali.

VISITATIO localis virilis regulari-
ter fit paulo antequā auricularis,
sive personalis absoluatur. Sumptis er-
go secum Visitator, si Epis. sit, duobus,
vel tribus ex senioribus, licet etiam plu-
res sumere possit, dummodo tamē pau-
S. Ant.
d.c. 6.
Clem.
2. de stat.
Monac.
Greg.
XII.
Cöf. 25.
ci sint, & seniores: vel si Episcopus non
sit vno, vel duobus secundum qualitatē
Monasterij visitandi, qui sacerdotes sint,
si haberi possint, ætate, & grauitate ma-
turi, Monasterium ingrediatur: Et in pri-
mis ad Ecclesiā interiorem duabus saltē
Monialibus senioribus, sicut in reliquo
Visitationis, præcedentibus se conferat:
& precibus ante SS. Sacramentū factis,
tabellam, in qua Monialium nomina de-
scripta sunt, legi faciat, singulis ad vaca-
tionem respōdentibus: Deinde ipsis be-
nedicat, iubeatq; omnes in Choro, vel in
Eccl. persistere, & orare: neminemq; inde,
donec Visitatio absolute nō erit, exi-
re; nisi cum facultate illius, quæ ibi ma-
ior, & tunc Præfecta erit, in casu necessi-
tatis. Deinde descripta Eccl. diligenter
omnino, & singula loca visitet, incipiē-
do ab ipsa ianua primaria, & à locis in-

teriorib. quæ omnia describet, vt infra:
Videatq; ne villa sit, quæ aliquid pro-
priū, vel superfluum, vel statui suo mini-
mè conueniens retineat. Et vbi tūc pro-
videre potest, sicut etiā de alijs trāgres-
sionib. prouideat: alioquin illud scribat:
scribiē faciat: præcipue autē quod ad
clausurā attinet: & hoc etiā in Monast.
Regulariū iuri, curæq; subiectis, diligē-
ter, ac curateq; visitet, loca ipsa introspe-
ctet, atq; ex superiori etiā parte circūlu-
stret, & cautē, solerterq; inspiciat pro-
spectus omnes, aditus, & cætera deniq;
omnia, quæ ad clausuram tuendam vlo-
quouis modo pertinent, maximè an ta-
lē habeat altitudinē, vt difficultē conse-
di possit: an muri sint firmi, securi, ac be-
nē muniti; & an in illis vllū sit foramē,
per quod Moniales aspicere, vel inspici-
queant; sicut etiam de fenestrīs. An la-
nuæ, rotæ, & fenestræ superflua sint, &
an ad præscriptum: Videat etiā an tecta
sint separata, & omnino distincta: & sin-
gula describat, vt infra. Et quātū ad hoc,
singulas etiam Moniales Regularibus
subiectas interroget, si opus esse viderit.

De-

Deinde in Eccl. interiori breuem sermonem habeat, secundum statum in Visitatione repertum: quo absolo, si aliqua sit publicè corripienda, ipsam corripiat, ac puniat, & benedictione impartita recedat.

CAPUT VIII.

Status Materialis descriptio.

MONASTERIVM S. N. constructum, & dotatum à Comitissa N. anno 1485. cum consensu Ordinarij, ut publico Instrumento rogato per N. Notariū, & Cancellarium Archiepiscopalem sub die 3. Ianuarij 1485. & in libro antiquo Monasterij.

Dos, qua dotatum fuit, est scutorum 15000. in bonis stabilibus sitis in territorijs Rosati, & Meltij, ut constat ex Instrumento, & libro.

Loca requisita sunt, ut infra.

Ecclesia exterior vnica naue constans, fornicata, & satis dacenter constructa, & ornata.

Consecrata à Reuerendissimo N. Archiepiscopo die 6. Junij 1555. ut constat lapide marmoreo in ipsius Eccl. pariete.

Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum assidue ibi in Tabernaculo decenti afferuatur; ante quod lampas iugiter ardet, scilicet in Ecclesia interiori, in exteriori autem, quādo fores aperte sūt.

Sacrum oleum pro agrotis in fennestella ad præscriptum decenter quoque afferuatur.

Vnicum adest altare ad formam præscriptam, quod etiam cōsecratum est, ut suprà, sine aliquo peculiari onere.

Imagines sacrae sunt comptæ, & veritati consonae.

Alia autem ad Ecclesiam exteriorē spectantia ponantur, ut suprà in Visitatione Materiali de Ecclesia.

Ecclesia etiam interior satis pulchra, & ampla cum Choro, & sedilibus per-

politis pro sexaginta Monialibus.

Fenestræ omnes, & clathra sunt ad præscriptum.

Item Rota cum valuis, sera, & clave.

Sacristia decens à parte Aquilonarij, cum suppellectili, ut in Indice.

Cœmeterium propè Sacrarium cum duabus sepulturis, una pro Velatis, altera pro Conuersis.

Ianua communis è duplice assere satis firmo constat; in illaq; nulla rimula patet. Limen è solido lapide est, & ipsi portæ strictim cohæscit. Fenestellula clathrata est ad præscriptum: & claves duæ sunt diuersi operis.

In ingressu est atrium, in cuius medio est fons aquæ satis abundans pro vnu Monialium. Et claustrum cum columnis decem, & octo è solido lapide.

Locus collocutionis vnu est in Monast. licet duo exteriores sint cum clathris, lamina, fenestellula cum clave, & vecte, & pano lineo, atq; valuis ad præscriptum: Eius ostium, etiā vecte, & clave clauditur.

Refectorium amplum, longum vide. licet cub. . . . latu verò cub. . . . satis pulchrum, cum mensis, sedilibus, suggestu, seu lectorili ex nuce: Et in capite ipsius repræsentatur Cœna Domini nostri pi-ctura satis eleganti. Vrceoli, patenæ, patinæ, & alia huiusmodi, diviformia sunt.

Propè ipsum Refectoriū est coquina satis commoda, & bene instructa longa cub. . . . lata verò cum camino, & cum furnulo, cumq; duob. abacis. Patenæ

N 3 autem,